



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania

Francus, Antonius

Augustæ-Vindelicorum, M. DCC XXVI.

Annus 1631. Soc. 92.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)

10. Plurimos Lusitanos, qui solutissimam inter Nigros vitam ducebant, redegit in orbitam. Sustulit innumera veneficia, quibus illæ nationes sunt maximè obnoxia. Magnum sibi nomen comparaverat quidam æthiops magicis præstigiis, quibus patrabat res in speciem miras. Tavarius hunc comprehensus ad se evocat duos Lusitanos, in quorum prædiis vitam debebat veneficus: pollicentur operam, eos comitatur Pater; cui persuadent, subsistat intra domum remotam à prædiis; fugiturum æthiopem, si nõsset ejus adventum. Pernoctantem, foribus repagulo firmatis, occulta manus fustuario delumbat. Manè inciderunt ejus venam; cum non esset fascia, quæ necerent, usi sunt herbâ. Postea redièrunt Lusitani fingentes itineris fatigationem: reipsâ timuerant malum à mago, nec ausi sunt in eum manus conjicere. Illi dæmon aperuerat Patris conatum, idcirco fustibus mulctati. Sed metuens magus capi profugit in regionem ducentis leucis distitam, ubi neophytis nocere non poterat, quod illic non forent.

11. Meditabamur etiam expeditionem terrestri itinere ad Æthiopiam finitimam mari rubro. Creditum Romæ, posse viam aperiri, quæ sacerdotes nostri adirent Abassinos, quando portus maritimos Turcæ prædiis occupaverant. Negotium commendatum Patribus Michaëli Alphonso, & Joanni Paivæ, viventibus in Congensii Collegio regionis Coelo affluens. P. Eduardus Vasæus Congensis Rector rem temerariam, ut erat, existimans, scripsit ad Generalem & Provinciam gravia rationum pondera, & difficultates insuperabiles, quæ prius deberent maturè perpendi, ne vitæ periculis evidentibus missionarii exponerentur sine spe exitus optati. Proposuit longinquitatem itinerum, torius enim Africa erat vincenda latitudo. Eundem per nationes feras, & infociabiles, quæ nesciant humana commercia; præterea vescantur humanis carnibus, & se mutuis bellis consumant. Quid? quod adeo pestifera extraneis sint illius Africae loca propter coelum grave, ut nullus de nostris à littore hæctenus excesserit vivus, aut certè morbo diuturno erat implicitus. Cumulat horum nomina. Rebus per otium consideratis, visum est desistere ab expeditione humano consilio, & viribus majore.

12. Claudio hunc annum cum eo, qui vitam clausit Villavissosæ die 29. Novembris Theodosius Dux Brigantinus hujus nominis secundus, parens Joannis Regis, patriæ suæ assertoris invictissimi. Princeps fuit sanctissimis ornatus moribus, quem nec vixisse, nec mori pœniteret. Ut vitam in secessu, & cœlibatu traduceret, voluit repudiare Ducatum suum, & reditus, ac tradere fratri Eduardo, pensione sibi duntaxat reservatâ. Cùm Rex non consensisset, duxit conjugem Annam Velascam de primaria Hispaniæ nobilitate. Conjugii castitatem sic custodivit, ut æquaverit conjuges sanctissimos. Superbiam fastidiebat magnopere, omnibus benevolentissimus. Principis Christiani virtus non est, quam sibi domesticam non habuisset. Nostros homines ex animo dilexit. Ut haberet sibi propiores, domum Professam condidit Villavissosæ, Confessario nostro usus P. Emmanuele Alvaro, qui nonagenius obiit Eboræ anno 1655.

Annus 1631. Soc. 92.

1. Petrus Rochia, qui anno superiore Rectoratum Conimbricensem intravit, nominatus Indicarum missionum Visitator, eò concessit cum aliis diviniæ culturæ operariis. Sed iniquis ventis & fluctibus cursum remorantibus, & impediens, navis cogitur Ulyssiponem proram convertere. Excensu facto, P. Rochia scripsit ad Patrem nostrum itineris successum votis contrarium; paratum se anno venturo navigationem iterare. Plurimum laudavit Generalis Rochiæ animam cunctis altiore periculis: non tamen sivit iter repetere.

Antonius Franco.

K k 2

petere

Via ex Ango-
la ad Abassi-
nos medita-
ta.

Mors Theo-
dosii Ducis
Brigantini.

Visitator pro-
fectus ad In-
diam.

petere, sed denuo admovit gubernando Conimbricensi Collegio. In reditu æternitatis portum attingit Petrus Sousa Bracharensis nondum sacris initiatus.

Obeunt P.
Emmanuel
Feyus, & Ge-
orgius San-
cius,

2. Nonagenario majorem 7. Maji senio confectum Domus Professa Ulyssiponenfis immortalitati addidit P. Emmanuelem Feyum Bejensem. Venit ad Societatem ætatis anno sexagesimo quinto, sacerdos multæ virtutis, & auctoritatis, ac singularis concionator. Non ille nobis accessit ad vitam tranfigendam laboribus immunem. Strenuè laboravit septem & viginti annis, quibus nobiscum vixerat. Primus, qui post conditam Eborenses Academiam, in ea laureatus Artium Magister. Vigesima nona Junii præmaturè abiit Georgius Sancius scholasticus, acutissimo præditus ingenio, propterea Condiscipuli novum vocabant Aristotelem. Cùm extenuato viribus offerrent Superiores votis religiosis libero domum paternam adire, ut commodiùs consuleret restituendæ valetudini; respondit, nolle se vitâ frui extra Societatem. E virtutibus tulit semper in oculis obedientiam.

Mors Emma-
nuelis Diasii,
& P. Ignatii
Simonii.

3. Ibidem 6. Octobris vivorum contubernio exivit Emmanuel Diasius Coadjutor exquisitæ charitatis. Dum enim vigilantissimè procurat sanitatem nostrorum, quos dejecerat in lectum febris perniciosâ, eodem correptus malo discessit è vivis suæ charitatis præmio fruiturus. Cum emoriente anno vivere desit P. Ignatius Simonius Procurator Domus Probationis Ulyssiponenfis, Dum prospicit culturæ prædii Vallis formosæ, quod olim trans Anam flumen donatum à PP. Mascarenis illa Domus possedit, & postea parùm consideratè vendidit, morbo obrutus est, ut vix se in Collegium Eborenses conferre potuerit, ubi piissimè vitâ defunctus. Neminem mortalium factò, aut verbo læsit. Cibi parcus, epulis obviis & vilioribus contentus.

Fundator
Collegii Por-
talegrensis.
Donationes
factæ Novi-
tiatui.

4. Solemnem professionem nuncupavit 6. Januarii P. Simon Almeida, qui sua bona pro dote Collegii Portalegrensis applicuit; hætenus carebat Fundatore: nomen, & Fundatoris suffragia Simoni concessit Societas. Idem suis expensis ornavit facellum domesticum tironum Ulyssipone. P. Ruyfius Mellus eidem Domui emphiteusim largitus est valentem quatuor cruciatorum millia.

Ingressi.

5. Militiæ nostræ additi, Emmanuel Fernandus Fermoisiliensis, qui Regis Petri secundi egit Confessarium; Pantaleon Carvalius Portuensis, erat Collega Conimbricæ in Collegio divi Pauli; Fernandus Gueirofius Canaviesiensis, qui migrans ad Indiam multa scripsit volumina, & vitam Ven. Petri Bastii Coadjutoris, obiit nominatus Æthiopiæ Patriarcha.

Mors P. An-
tonii Leitami

6. Ex Collegio Angrensi 29. Junii ad capeffenda meritorum præmia est evocatus P. Antonius Leitamus Amoreirensis in dioecesi Ulyssiponenfi. Post absoluta Theologica studia missus Angram annis amplius viginti vitam ibi egit inculpam. Tametsi addictissimus cubiculo, nunquam tamen otiosus. Neminem externorum invisebat, nec ab externis conveniebatur officii causâ. Foras prodiens consolabatur carcere detentis. Nec verbo, nec factò quemquam mortalium offendit. Per insulam sæpe discurrens sacras peregit misiones, singulari sanctimonix opinione. Præcivit tempus mortis suæ. Ad ejus tanquam venerandi hominis funus confluxere innumeri. Auxit conceptam opinionem eventus mirabilis. Per eos dies furto cereos abstulerant à Sodalitate Annuciata Virginis; Sodales funeri & exequiis adituri alios cereos conduxerunt; postea, ut solveretur pretium ceræ consumptæ examinatum pondus nihil rotatoris imminutum fuit.

Res in Angola.

7. In Angolano Collegio strenua navata est opera Nigris erudendis. Per id tempus duodecim, vel tredecim millia Nigrorum è Loanda transportabantur singulis annis ad Americam Lusitanam, & Castellanam. P. Franciscus Pacomius scripsit regionis linguâ brevem catechesim ad imbuendos fidei mytteriis Nigros. Maximè delectabantur audiendo Pacomio, quod gentis idiomate uteretur. Idem sacerdos adiit Massanganum per quadragesimam; post exultum oppidum peregrinatus per vicus & pagos vicinos. In urbe Regis Dongani duo de nostris juvabant Neophytos. Hunc Regem evexerant in Iohium Lusitani

tani. Rex defunctus, quem Dongenses Numinis instar colebant, aliquot reliquit sorores; seniori Ginga dictæ collatum est regnum. Fuerat nutrita Loan-dæ, & baptismo abluta. Vitam agebat coelibem. Velut Amazonum Regina gubernavit exercitus, bellatrix utique fœmina suis præibat augens cunctorum animos, & optimi Ducis partes explens. Cùm non curaret Lusitanis debitam fidem, imò præstaret asyllum mancipiis ad eam confugientibus, magno Lusitanorum damno; ab Lusitanis regno exuta est.

8. Pro fine rerum ad hunc annum spectantium non videtur silentio prætereunda mors Hieronymi Gouveæ, fratris nostri Francisci Gouveæ; qui non parùm jovit suis elemosynis Professam Domum, & præsertim sacrum vestiarium templi, in quo jacet consepultus hæc epigraphe in sepulchrali marmore exarata: *Sepultura D. Fratris Hieronymi de Gouvea, qui fuit Episcopus Septensis, & Finguanus. Ubi etiam conduntur ossa matris illius, & sororis Agnetis de Gouvea. Obiit 11. Julii, anno 1631.*

Obit D. Hieronymus Gouvea Episcopus,

Annus 1632. Soc. 94.

Sub novo Provinciæ Capite P. Ludovico Lopo Ulyssiponensi, fratre Alvi-
tensis Dynastæ, mense Januarii renunciato; navigationem Indicam capeffi-
vère quinque, duo Lusitani, ceteri diversæ nationis. In Angolam pari-
ter quinque expediti sunt, tres sacerdotes, duo nondum sacris initiati. P. Gon-
salus Soula ibat cum potestate Visitatoris.

Novus Provincialis.

Missiones ultramarinæ.

2. Trium hoc anno obitus memoratur. Primus 22. Julii in Domo Pro-
fessa P. Antonii Azevedi Ulyssiponensis, septuagenario majoris. Unus fuit è
nobilioribus, qui capti sunt à Mauris post cladem Sebastiani Regis. Redditus
patriæ studuit unicè virtuti. Quadragenarius dedit Societati nomen, in qua
professus tria vota solemnia. Recensetur inter Benefactores domus tironum,
Domus Professæ, & Collegii D. Antonii. De cubiculo nisi ad audiendos pœni-
tentes rarò prodibat, quibus plurimum tempus impendit. Deditissimus erat per-
legendis libris tractantibus de rebus, quæ juvant, ac nutriunt spiritum. In
schola patientiæ egregiè versatus acerbas ægritudines æquanimiter toleravit.

Mors P. Antonii Azevedi.

3. Ex Collegio Eboracensi sub exitum Julii die trigesimâ ad suam sole-
mnitatem S. Fundator, Pater optimus, filium bonum in Cœlos evocavit An-
tonium de Cruce Ulyssiponensem scholasticum. Quinquennio tantùm inter
nos vixit, sed omnigenâ virtute excultus, etiam priusquam Societati conjunge-
retur. Quod illi ob vires debiles arduum erat impetratum. Sed vicit sanctâ im-
portunitate, dixitque de eo palàm noster, cui nota erat adolescentis virtus, An-
tonium in Societatem adoptandum, ut esset sanctus. Præcallebat sui contem-
ptu, & obedientiâ promptissimâ, ut etiam ab Rectore moriendi facultatem pe-
tierit. Moriens modò cum DEI parente, modò cum Crucifixo piissimè collo-
quebatur. Pedes jacentis in feretro sunt deosculati socii, venerantes Antonii
egregiam sanctimoniam; quam notiore facit ejus vita in opere de tironibus
Ulyssipone educatis.

Mors Antonii de Cruce.

4. Conimbricæ 9. Octobris vitæ laudabiliter actæ cursum laudabili pari-
ter exitu consummavit P. Emmanuel Nogueira. Societatem amore singulari
prosecutus est. Ardentissimè consuluit proximo in salutem asserendo per lacras
missiones. Dum consententem audit ægrotum perniciosâ correptum febri, hæ-
sit illi pestis eadem, ac de vita sustulit.

Mors P. Emmanuelis Nogueira.